

Urbibus quidem & sui Comites sed tantum judiciis præfecti, nec illi jus hereditarium aliquod habuerunt.

LIII.

In Cistrhenana Germania nullæ quondam fuere urbes sed tantum magni vici: illi etiam plerumque proxime sub Regibus fuerunt. Cum autem seculo nono in Germaniâ Ducatus ac Comitatus hæreditarii facti, hac occasione Urbes quæ nullum agnoverant superiorem nisi solum Regem, bona ex parte cœperunt parere Ducibus aut Comitibus suis. Creditur à quam multis quod seculo eodem etiam Episcopis datum fuerit jus supremum in illas urbes in quibus sedes habuerunt. Nondum id verò probatum esse, in publica lectione Ampl. Dn. Præses existimabat. Ex eo itaque tempore decrevit numerus Urbium Imperialium crescente numero Provincialium. Posteaquam vero visum fuit Friderico Barbarossæ Duces Bavariæ & Saxonix nimis excrevisse, omnem potentiam illis subducere conatus fuit, adeoque omnes urbes illorum Ducatum quæ alicujus erant potentix Imperio subjecit. Et hac ratione libera urbs Imperii facta fuit Lubeca, Ratisbona, Bardowicum, quæ tamen civitas ab Henrico Leone postea destructa est.

LIV.

Mansit tamen etiam sic magnus numerus Imperialium urbium. Seculo autem Decimo tertio nonnullæ urbes quæ erant Imperiales cœperunt oppignorari Principibus. Ita Neo magus fuit oppignorata Comitibus Geldrix, & hodie est urbs provincialis Geldrix. Nonnullæ oppignoratæ semetipsas liberarunt. Eodem autem seculo extincta fuit familia Ducum Sueviæ, quæ per bonam quoque Franconix partem potentiam distulerat. Placuit tum communi consilio patrimonium Ducum Sueviæ vindicari Imperio.

perio.